



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XIII. De visitatione nigrorum monachorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

fiarum , & alii supradicti a talibus de cetero abstinent, & nisi abstinere voluerint, quousque sic ablati restituant , excommunicationis vinculo innocentur.

X I.

Item districtius inhibemus , ne aliquis clericus ecclesiam parochialem a laico patrono recipere beneficium audeat, nisi ab episcopo vel archidiacono fuerit institutus; alioquin ab officio & beneficio se nouerint esse suspensos : & laicus , qui auctoritate propria instituere præsumperit , ipso facto a iure cadat patronatus. Adiicientes quod nullus patronus clericus vel laicus dotem ecclesiæ , in qua ius obtinet patronatus , alienare præsumat. Quod si contra fecerit , ipso facto cadat a iure patronatus, & res alienata ad ius & proprietatem ecclesiæ revertatur.

X II.

Item ordinamus & statuimus , vt prælati & curam animarum habentes in suis ecclesiis corporaliter resideant, & ad hoc a suis episcopis per subtractionem fructuum compellantur , nisi causa legitima se potuerint excusare.

X III.

Item, cum clamosa insinuatio nostrum percussere auditum & animum , quod abbates & monachi ordinis sancti Benedicti in quampluribus locis ab obseruatione sanctæ regulæ temere recedentes vitam nimis dissolutam ducere non verentur , in suarum animarum periculum, & scandalum plurimorum : volentes igitur, vt contra huius corruptelam salubre remedium apponatur , vniuersis episcopis Saltzburgensis prouinciæ, ac episcopo Pragensi districte

ANNO CHRISTI
1167. stricte præcipimus, vt quilibet ipsorum intra di-
midium annum, assumptis secum duobus abba-
tibus Cisterciensis ordinis, omnia claustra nigro-
rum monachorum, suæ dicecfs videlicet, cor-
rigat & reformat tam in capite quam in mem-
bris; illis tamen exceptis qui Romanæ ecclesiæ
nullo medio subesse noscuntur, quos per nos vel
alios a nobis specialiter deputandos intendimus
visitare.

XIV.

Prohibemus etiam abbatibus, ne calices vel pa-
tenas, seu sacras vestes benedicere vel consecrare,
aut alia episcopalia officia exercere præsumant, ni-
si super hoc a sede apostolica priuilegium habue-
rint speciale.

XV.

Item, cum in tantum insolentiæ Iudæorum ex-
creuerint, vt per eos in quampluribus Christianis
iam dicatur infici puritas catholicæ sanctitatis, non
tam noua cudentes, quam summi pontificis sta-
tuta vetera renouantes, districte præcipimus, vt Iu-
dæi, qui discerni debent in habitu a Christianis,
cornutum pileum, quem * quidam in istis partibus
^{* f. quidam} consueuerunt deferre, & sua * tenuitate deponere
^{* f. teme-}
^{* f. resu-}
^{mant,} præsumperunt, * resumantur, vt a Christianis eui-
denter discernivaleant, sicut olim in generali Con-
cilio extitit diffinitum. Quicumque autem Iu-
dæus sine tali signo deprehensus fuerit incedere, a
Domino terræ poena pecuniaria puniatur. Adii-
cientes vt Iudæi sacerdoti parochiali, infra cuius
parochiæ terminos manserint, pro eo quod loca

Concil. Tom. 28.

Sff